CAPUT XX.

De Remediis Ophthalmicis.

§. 1.

Ophthalmica Remedia dicuntur, quæ Oculorum Affectibus mederi apta ſunt. Subjectum ergo ſive pars affecta corporis, cui deſtinantur, Oculi nomine venit, per Oculum tamen non bulbum ſolùm, ſive globum illius, ſed opercula quoque externa indigitare volumus. *Ophthalmica* autem appellantur voce græcâ, derivata à nomine ὀφθαλμὸς, quod Oculum latinè ſignificat. Sic autem priſcis Latinis Medicis placuit, ferè omnia Remediorum nomina à græcâ mutuari Linguâ, cumque ſic communiter illis uſi ſint vocabulis, etiam à Recentioribus quoque hactenus retenta fuerunt. *Ophthalmicorum definitio.*

§. 2. Quandoquidem autem Oculus pars eſt corporis admodùm tenera, ac delicata, è fibris nerveis copioſis, membranisque admodum ſenſibilibus compoſita, ipſeque hinc viſionis ſenſus omnium præſtantiſſimus & utiliſſimus exiſtit, materiam certè Ophthalmicorum Remediorum ſtudio expreſſo ſeligere oportet, accurateque ſcire, quæ amica Oculis, quæ iiſdem inimica ſint. Inimicam autem maximè judicamus Bulbi Oculi ſuppurationem, utpote quæ plerumque humores ejus corrumpendo, viſum adimit, ſubinde etiam cicatrice deformi pupillam infeſtat, ſicque Viſum intercipit. Suppuratio autem, vel Oculi Ulcus plerumque comitatur Inflammationem, ſive Ophthalmiam malè tractatam, in quâ ſtagnantes particulæ ſeroſo-ſanguineæ, in vaſculis ſenſim motum fermentativum adeptæ, in pus convertuntur. Ad præcavendam ergo ſuppurationem, ab emplaſticis, ano- *Selectus.*

dynis, atque unctuoso-oleosis est abstinendum, quippe quæ partim obstruendo poros, & emolliendo suppurationem promovent, partim etiam acrimoniâ quâdam salinâ mordicando, affluxum augent.

Differentia. §. 3. Dividuntur autem *Ophthalmica*, vel in *communia*, quorum materia cum *Cephalicis*, *Oticis*, aliisque communis est; vel *propria* sive *specifica*, quæ oculis specialiter proficua esse observantur; Utraque dein vel *interna* statuimus, quæ intus exhibita ad Curationem Affectuum ocularium contribuunt, vel *externa*, quæ extus sive Oculo ipsi discussionis gratiâ, sive aliis partibus revulsionis scopo adhiberi solent.

Internarum Materiâ. §. 4. *Interna Ophthalmica* remedia, desumuntur è *Tabulâ Cephalicorum*, suntque partim *Radices*, partim *Herbæ*, *Flores*, *Semina*, &c. ex quibus *Conservæ*, *Pulveres*, *Essentiæ*, *Infusa*, &c. fieri possunt, ad Visum juvandum, & debellandos affectus varios Oculorum proficua.

Externarum. §. 5. In censum Remediorum *Ophthalmicorum externorum* referimus ex classe mineralium *Alumen*, *Crocum metallorum*, *Vitrum Antimonii*, *Succinum*, *Tutiam pptam*, *Antimon. diaphoret. Bezoard. miner. Magisterium Saturni*, *Flores Zinci*, *Lapidem calaminarem pptum*, *Mercurium præcipitatum album & rubrum*: Ex Regno animali desumimus *Pinguedinem Serpentum*, *Viperarum*, aut *Asciæ piscis*, *Albumen Ovi*, *Ocul. 69. ppt. Fel Lucii piscis*, *Matrem perlarum pptam*, *Margaritas ppt.* Tandem è regno vegetabili desumimus *Radices Valerianæ*, *Rutæ*, *Chelidon. maj. Fœnicul. Pœoniæ*, *Helenii*, *Apii*, *Herbas Salviæ*, *Euphrasiæ*, *Verbenæ*, *Fumariæ*, *Origani*, *Serpilli*, *Chamædrios*, *Chelidonii majoris*, *Rutæ*, *Fœniculi*, *Plantaginis*, *Semina Anisi*, *Fœniculi*, *Psyllii*, *Cydoniorum*, *atque Sileris montani*; *Baccas Juniperi*, *Flores Sambuci*,

buci, *Rosarum*, *Cyani seget. Cichorii albi*, *Scabiosæ*, *Githaginis*, *Saccharum Canariense*, &c. Ex quibus omnibus partim *Aquæ destillatæ*, ad varia *Collyria* & *Epithemata*, partim *Cataplasmata*, partim denique *Balsami*, vel *Ungta Ophthalmica* fieri possunt, v. gr.

Formulæ Ophthalmicorum externorum.

℞. *Aqu. Chelid. maj.* ℥ij.
Fœnicul.
Rosar. alb. ana ℥j.
Tut. ppt. ℈iiß.
Matr. Perlar. ppt.
Magist. Saturn. ana ℈ß.

M. ad Vitr. ac subinde linteolum in hâc Mixturâ calidâ madefactum, in Oculi canthum majorem exprimatur, quo sic guttulæ Bulbum ejusdem contingere, & Ophthalmiæ mederi possint. Vel

℞. *Aqu. Plantag.* ℥ij.
Euphras. ℥j.
Fœnicul. ℥ß.
Sacch. cand. alb. ℈ij.
Bezoard. mineral.
Flor. cineric. Saturn. ana ℈j.
Mercur. dulc. ℈ß.

M. *d. ad Vitr. ac subinde linteis calidè exceptum, interdiu Oculis applicetur.* Vel

℞. *Aqu. flor. Cyan.* ℥ij.
Plantag. ℥iß.
Scabios. ʒvj.
Mucilag. Sem. Psyll. vel
Cydon. Aqu. Rosar.
fact. ʒiß.
Magist. Antimon. diaph. ℈ij.
Ocul. 69. ppt.
Corall. alb. ppt. ana ℈j.

M. d. ad Vitrum pro Collyrio. Vel

℞. *Aqu. Succisæ,*
Chelidon. maj. ana ℥ij.
Croc. Metall. ʒß.
Oriental. ℈ß.

Coque invicem probè, postea filtra, ac filtrato liquori adde Lapid. Calam. ppt. ℈ij. *d. ad Vitr. pro Collyrio.*

℞. *Butyr. Vin. albo aliquot. lot.* ℥j.
Magist. Antimon. diaph. ʒj.
Mercur. præcipit. alb. ʒß.
Sacch. Saturni ℈ß.

M. F. Liniment. impalpabile, quod canthis Oculorum ita inungatur, ut inde concavum palpebrarum illiniri per motum Oculi queat. Vel

℞. *Butyr. rec. Aq.* Chelid. *lot.* ℥ß.
Pingued. Asciæ pisc.
Aqu. Ros. alb. lot. ʒij.
Tutiæ ppt ℈ij.
Sacchar. canarienf.
Mercur. præc. dulc. ana ʒß.

M. F. Linim. m. ac v. Oculorum canthis inungendum. Vel

℞. *Butyr. rec. Aq.* Plantag. *lot.* ʒiij.
Tutiæ ppt. ℈ij.
Mercurii præcipitat. rubr. subtilissime super porphyritem lævigati q. s. ad Balsamum carneo, vel pallidè roseo colore tingendum.

M. F. Balsamum Ophthalmicum, quod efficacissimum subinde deprehendimus, ac non nisi Rustici cujusdam hucusq; secretum fuit.

Theodorus Zwingerus Abavus meus sequentem *Liquorem euporistum* inter arcana quoque habuit:

℞. *Vitriolum ad albed. calcinat. q. s.*

M. cum

M. cum Urinâ Pueri sani, & hinc per Alembicum ex arenâ liquorem abstrahe, qui calidè in linteis subinde applicatus, feliciter Oculorum Inflammationes discutit.

Ita pariter *Tackenius*, Chymicus & Medicus olim apud Venetos Celeberrimus, ex *Aceto destill.* & *Urinâ* commixtis, ac per retortam destillatis, suam produxit Aquam salsam, quæ sine morsu Oculis & Auribus quoque instillari potest.

Formulæ Ophthalmicorum internorum.

℞. *Rad. Valerian. Pœon. ana* ʒj.
Herb. Euphras. ℥ß.
Semin. Fœnic. ʒij.
Cubebar. Macis, ana ʒß.
Sacch. alb. ℥iß.

Misc. fiat Tragema Ophthalmicum, de quo singulis mane & vesperi ʒj. *capiatur.* Vel

℞. *Rad. Valerian.* ℥j.
Herb. Euphras. ℥ij.
Sem. Anis.
Fœnic. ana ℥ß.
Sacch. alb. ℥iv.

M. F. Pulv. gross. detur in scat. Capiatur m. & v. cochleare plenum.

℞. *Herb. Euphras.* ℔j.

Incis. insuatur in sacculos longos teretes, in doliolo suspendendos, affundendo Vini albi Mensuras 50. *ut fiat Vinum medicatum ophthalmicum.*

℞. *Essent. Beton.*
Euphras. ana ℥ß.

Misc. detur ad Vitr. Ut m. ac v. ℈ij. *capiantur, cum Aqu. Fœniculi.*

℞. *Aqu. Fœnic. cum Vino dest.* ℔vj.

Detur ad Vitr. ut singulis noctibus cyathus plenus hauriatur.

℞. *Rad. Liquirit.* ℥ß.
Herb. Euphraſ. Mij.
Sem. Fænic. ʒvj.
Paſſ. minor. ℥ij.

Inc. & cont. miſc. dentur in ch. Ut exinde fiant decoctiones cum Aquâ font. pro potu ordinario.

℞. *Fol. Beton Majoran. ana* Mij.
Summ. Euphraſ. Miv.

Inciſ. miſc. dentur in ch. Ut fiant infuſiones cum Aquâ bulliente, ſaccharo dulcorandæ, & inſtar Thée quotidie ſemel aut bis potandæ.

CAPUT XXI.

De Remediis Oticis.

§. 1.

Oticorum definitio.

OTica Medicamenta, aliàs *Acuſtica* ſive *Auditum roborantia* ſunt, quæ Aurium Affectibus mederi apta ſunt, ſive dein hi Affectus ſuam originem trahant à meatibus obſtructis, ſive à membranis glanduloſis infarctis, ſive à nervis auditoriis malè habentibus, ſive ab aliis denique cauſis. Hinc Remedia talia, nunc *interna* exhibentur, nunc *externa* admoventur. Frequentior autem eſt uſus *externorum acuſticorum*, quoniam interna vix à Cephalicis ac Ophthalmicis generalibus differunt, Spiritus nimirum animales vigorantibus, ac lympham craſſam in Aurium meatibus ſtagnantem reſolventibus.

Otica interna.

§. 2. Ad *interna* tamen Acuſtica, ſpecificè magis referunt Authores ea, quæ *ſale volatili oleoſo* gaudentia Maſſam ſanguineam inſigniter attenuant, acida ſalſa plus minus fixa deſtruunt, ſpirituoſas par-